

VIII

MARIE ANNUNTIATIO ANGELI

1º B. VIRGO DE CONGRUO MERUIT CHRISTI INCARNATIONEM, UT SCILICET IPSA UNA, EX OMNIBUS, FIERET MATER CHRISTI.

<sup>VII
472
4</sup> *Osculetur me osculo oris sui.* (Cant. i. 4.) — Cum legeret (Maria) illud Isaiae oraculum, cap. vii, 14. *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* exclamabat : Mitte, Domine, Virginem hanc quae pariat nobis Emmanuel ; utinam virginem hanc videre ! utinam ejus ancilla fieri merear ! Quocirca fragrantissimis hisce desideriis meruit ipsa de congruo Christi incarnationem, imo ejus maternitatem, ut scilicet ipsa una ex omnibus fieret mater Christi, uti docent theologi, et Suarez, III part., quæst. ii, art. 10, disp. 10, sect. 8. Unde S. Gregorius, in I Reg. i. : « Meritorum verticem, inquit, usque ad solium divinitatis erexit. » Et S. Hieronymus, epist. 22 ad Eustachium : « Propone, inquit, tibi Mariam, quæ tantæ exitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur. » Et S. Amselmus, de Laudib. Virg. cap. viii : « Sanctissima puritas, et purissima sanctitas pectoris ejus, omnis creaturæ puritatem et sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perdit orbis plenissime fieret.

2º SUO IN OPUS INCARNATIONIS ASSENSU PLUS MERUIT QUAM OMNES ANGELI ET SANCTI IN OMNIBUS ACTIBUS SUIS.

Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas. (Prov. xx, 29). — S. Bernardinus, tom. II *Concionum*, serm. 51, art. 3, cap. x, dicit B. Virginem actu illo fidei et obedientiæ, quo angelo Christi incarnationem annuntianti assensit, et assentiendo sese condigne disposuit, ac de congruo meruit ut esset matrem Dei, plus meruisse quam meruerunt omnes angeli et sancti in omnibus actibus suis, quia scilicet, ut explicat Suarezius, disp. 12, sect. 3, eo actu meruit, saltem de congruo eam dignitatem (maternitatem Dei), cui excellentior gratia et gloria quædam modo debebatur.

Verba sancti Bernardini hæc sunt : « Si quis, ait, considerat ad tantum mysterium finalem virginei consensus terminum, clare intelliget, quod omnis dignitas et perfectio inclusa in hoc quod est esse matrem Dei, tam mente quam carne comprehendatur in eo, quod quidem transcendit in merito, in infinitum, quidquid sub Deo homine cogitari vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet quod meritoria perfectio hujus consensus fuerit perfectioni sui termini pariter proportionata. » Ex hoc principio hanc conclusionem infert : « Ex his igitur colligi potest, virginem beatam in conceptionis Filii Dei consensu plus meruisse, quam omnes creaturas, tam angelos quam homines, in cunctis actibus, motibus ac cogitationibus suis : nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status et gradus

<sup>VI
525
4</sup>

gloriam sempiternam; hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium et primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus prophetæ, discretiones spirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem Filii Dei: meruit quod sit stella maris, porta coeli, et super omnia quod regina misericordiae nuncuparetur, ac talis nominis consequatur effectum. Unde merito, *prov. ultimo*, de ipsa beata Virgine ait Salomon: *Multæ filia*, etc.

**3º QUOMODO AD CONCIPIENDUM DEI FILIUM A DEO
FUERIT DISPOSITA.**

XVI
38
2

Quia fecit mihi magna qui potens est. (Luc. 1, 49.)— Ostendit Virgo in se adimpletum esse illud promissum angeli, vers. 35: *Spiritus sanctus superveniet in te*; ideoque dicit: *Et sanctum nomen ejus*, scilicet *Spiritus sanctus, q. d.* Quia virtus Altissimi mihi obumbravit, et *Spiritus sanctus supervenit in me, beatam me dicent omnes generationes*: illa enim duo me bearunt et beatam fecerunt.

Jam quoad sensum,

Primo, Toletus et Franciscus Lucas censem Virginem hic duo a Deo sibi facta celebrare, scilicet: *Primo*, incarnationem Verbi per quam facta est mater Dei, ideoque *domina et regina angelorum et hominum*, et propter hoc dicere: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, hoc enim fuit opus summæ Dei poten-

tiae. Secundo suam ad hanc incarnationem in se peragendam dispositionem et sanctificationem, et propter hoc dicere: *Et sanctum nomen ejus*. Ut enim fuit opus potentiae Deum fieri hominem ex virgine, ita opus sanctitatis, fuit Virginem præparare, ab omni sorde et labe præservare, corpore et animo sanctificare, atque omnino talem reddere quæ idonea esset ad concipiendum in suo utero Dei Verbum sanctum et immaculatum. Cum ergo Virgo ab utroque hoc sciret se prædicandam esse beatam inter christianos, utrumque Deo adscribit; volens omnia in Deum referri, qui nominatissimam suam tum potentiam, tum sanctitatem, pietatem, bonitatem, ac misericordiam ita in eam exeruerit, ut non tam ipsa quam ipse ab omnibus sæculis laudari ac prædicari mereatur. Nam B. Virgo a Spiritu sancto ita sanctificata est, ut nullum omnino peccatum contraxerit, utque in gratia et sanctitate longe omnes angelos etiam seraphinos superarit.

Secundo, etc. (Vide loc. citat.)

4º QUOMODO AD EAM ANGELUS SIT INGRESSUS.

Et ingressus ad eam angelus, dixit. (Luc. 1, 28.)— *Ingressus*, id est illatus in clausum Virginis pro adventu Messiae et salute hominum secreto orantis cubiculum, per fenestram vel per ostium. Angeli enim, cum sint purissimi spiritus, sua subtilitate et efficacitate omnes paries et omnia corpora penetrant et pervadunt. Ita S. Bernardus, serm. 3, super *Missus est*, licet Andreas episcopus Hierosolitanus, serm. *de Annunt.*, putet angelum clam ostium aperuisse, et modeste Virginem compellasse ac salutasse.

XVI
45
2

5º QUO SENSU FUERIT PLENA GRATIA.

XVI

46

2

Ave gratia plena. (Luc I, 28.) — Dices : Christus fuit plenior gratia quam B. Virgo. Alii quoque sancti dicuntur *pleni fuisse Spiritu sancto*, ut sanctus Stephanus.

Respondeo eos plenos gratia dici, sed diversimode : Nam, ut recte ait Maldonatus, aqua plenus est fons, plenus fluvius, pleni rivuli, etsi plus et purius in fonte quam in fluvio, in fluvio quam in rivulis est. Plenus Christus gratia tanquam fons, in quo et saturit et stagnat gratia, et in omnes homines sicut ex capite in membra derivatur. Plena Christi mater, tanquam fonti proximus fluvius, qui, etsi minus quam fons aquæ habet, pleno tamen fluit alveo. Plenus Stephanus, sed tanquam rivulus.

Eleganter et pie solideque D. Petrus Chrysologus, serm. 443, in hæc verba : « Hæc, inquit, est gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo, salutem sæculis redditura. » Idem, serm. 446 : « Una, inquit, puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perdit, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat, et impleat illud propheticum : *Ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* »

Audi S. Augustinum, serm. 48 de Sanctis : « Impleta est (Maria) gratia, et Eva vacuata est culpa. Male-dictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ. » Vide Toletum hic, annot. 67, ubi ostendit B. Virginem

plenam fuisse omni gratia, tum gratum faciente, tum gratis data, idque tam in corpore quam in anima. Carebat enim fomite concupiscentiae : quare caro ejus plane subdita erat rationi et spiritui, uti erat in Adamo in paradiſo per justitiam originalem. Quocirca addit in ea naturam conspirasse cum gratia, illique per omnia esse cooperatam. Rursum B. Virginem in singulis et in universis virtutibus eminuisse : sic enim decebat ornari et præparari eam, quæ erat futura mater Dei. »

6º EST GRATIA PLENISSIMA.

IX

651

4

In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes viæ et virtutis. (Eccli. xxiv. 25.) — Mystice, haec competit B. Virgini ; nam, ut ait S. Augustinus, vel quisquis est auctor (non enim est S. Augustinus), serm. 20 de Nativ. Domini ad fratres in eremo : « Propterea Maria mater electa est, et super omnes creaturas præelecta, omnibus gratiis fœundata, omni virtute et sanctitate in utero repleta, ut de mundissima matre mundissimus filius nasceretur : et sicut in cœlis Filius habet patrem immortalem et æternum, sic et in terra haberet matrem omni corruptione carentem. »

S. Gregorius lib. I, in I Regum, cap. i : « Potest, ait, hujus montis nomine Beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari : mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros

usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis praecellentissimam dignitatem Isaías vaticinans ait: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (Is. II.) Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes sanctos resulsa.

Huc accedit Albertus Magnus, hom. super *Missus est*: « Congregationes, inquit, aquarum vocavit Deus maria, lucus autem omnium gratiarum vocatur Maria. » Et S. Bonaventura in *Speculo B. Virginis*, cap. III et seq.: « Maria, inquit, dicitur mare propter affluentiam et copiam gratiarum; unde scriptum est Eccles. I: *Omnia flumina intrant in mare*, dum omnia charismata sanctorum intrant in Maria. » Et mox: « Unde ipsa optime dicere potest illud Ecclesiast. XXIV: *In me omnis spes vitae et virtutis*. » S. Thomas, Opusc. VIII, probans B. Virginem plenam gratia, quam refundit juvando alios: « In omni, inquit, opere virtutis potes eam habere in adjutorium, et ideo dicit ipsa, Ecclesiast. cap. XXIV: *In me omnis spes vitae et virtutis*. »

Rursum S. Bonaventura in *Speculo*, VI, probans plenitudinem gratiae Deiparæ, præsertim donorum Spiritus sancti: « Maria, inquit, gratulabunda dicere potest illud Ecclesiastici: *In me omnis gratia viæ et veritatis*, quæ mater est ejus quem legimus plenum gratiae et veritatis. Et quid mirum, si in illa virga est tanta donorum Spiritus sancti affluentia, in cuius flore Spiritus sanctus requievit, cum tanta donorum affluentia. Maria namque est illa virga, et filius Mariæ est ille flos de quo dicitur in Isaia: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescat super eum spiritus consilii et fortitudinis*,

spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. In hoc flore mira Spiritus sancti effluentia, de quo in omnem Ecclesiam mira fit influentia, ut B. Evangelista Joannes dicit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*. Cum ergo de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quanto magis in ipsam hujus floris virgam, in ipsam Mariam. Dicat ergo Maria secure: *In me omnis gratia viæ et veritatis*. » Haec Bonaventura.

7º MIRA EJUS GRATIA (Vide superius... IX. 63. 2)

8º HABET PLUS GRATIÆ QUAM OMNES
HOMINES SIMUL.

Sicut per inobedientiam unius hominis peccatoris constituti sunt multi, ita per unius obediētionem justi constituentur multi. (Rom. V, 19.) — Non peccatum Adæ, sed gratia Christi se extendit ad B. Virginem, quæ est mare gratiarum, et plus habet gratiæ quam omnes homines simul. Addit Pererius, Suarez et alii, etiam ad angelos Christi gratiam (ac proinde incarnationis per Mariam) se extendisse, eosque per merita Christi (filii Mariæ) justificatos esse, ad quos peccatum Adæ pertingere non potuit.

XVIII
103
2

9º GRATIA EJUS, IN PRIMO CONCEPTIONIS INSTANTI, SUPERAVIT GRATIAM SUPREMI ANGELI, QUÆ SEMPER ADAUCTA EST; AC INDE PLUS A DEO AMATUR QUAM TOTA ECCLESIA.

Ave, gratia plena, Dominus tecum. (Luc. I, 28.) — Ita B. Virgo fuit plena gratia, ut ei cooperando strenue et assidue ea augeri pleniorque fieri mereretur;

XVI
17
4

licet enim esset plena quoad præsentem capacitatem, ut haberet tantum gratiæ quantum capere poterat; tamen huic gratiæ assidue et strenue per actus ferventes cooperans, novum sibi parabat meritum, ac proinde novam capacitatem et dispositionem ad novam gratiam consequendam, idque assidue, ut dixi.

Vide Franciscum Suarez, III part., disp. xviii, sect. 3, ubi ostendit gratiam B. Virginis in primo conceptionis ejus instanti fuisse majorem gratia quam habuit supremus angelus, qui uno actu vel duobus omnia sua merita consummavit; eoque plus meruit quam mille et mille homines mereantur per totam vitam: quare B. Virgo, primo hoc instanti, amans laudansque Deum, *intensissime superavit* amorrem, et consequenter méritum supremi angeli. Secundo operationis et amoris sui instanti, ex gratiæ augmentatione quod primo instanti merita erat et reipsa acceperat, gradus amoris, et consequenter meriti, duplicavit. Tertio vero instanti, eosdem duplicando, méritum cum gratia quadruplicavit. Quarto instanti, pari quadruplicationis duplicatione et progressu, idem octuplicavit, et ita consequenter per singula amoris et operationis instantia gratiam acceptam continue duplicando usque ad annum 72, quo mortua est, ut in iis omnes omnino homines et angelos simul sumptos superarit. Quare illa unica gratior est Deo, quam cœteri homines. Deus ergo plus amat solam B. Virginem, quam totam Ecclesiam, id est quam omnes homines et angelos simul sumptos. Hæc Suarez.

Vide S. Brigittæ *Revelationes*, lib. I, cap. x, ubi B. Virgo ei narrat suos in virtute et amore Dei progres-

sus, ac annunciationem per angelum sibi factam, asseritque se in eadem ineffabili lætitia fuisse perfusam, eaque continua; sed semper lætitiam habuisse dolore permixtam. Audi eamdem, lib. IV *Revel.* cap. cviii: « Tres sancti sunt qui mihi præ cœteris placuerunt, scilicet Maria, mater mea, Joannes Baptista, et Maria Magdalena. Mater igitur mea, quando et postquam fuit, sic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula; quod bene cognoscentes dæmones sic ægre tulerunt per similitudinem loquendo, quasi quod quedam vox dæmonum tunc sonisset de inferno dicens: Una Virgo tam virtuose et mirabiliter procedit, quod omnes superat in terra et in cœlo et perveniet usque ad sedem Dei. »

Denique, vide novem plenitudines gratiæ B. Virginis proprias, quas recenset Rutilius Benzonius, lib. II, super *Magnificat*, cap. xxvi, dub. 7.

10º TOTA TRINITAS CUM EA ERAT.

Dominus tecum. (lb.)— Subaudi est potiusquam sit. Dat (angelus) causam cur gratia sit plena: quia scilicet Dominus cum ea est eique assistit et præsto est singulari modo, ut in ea singulare incarnationis Verbi opus operetur. Unde S. Augustinus, serm. 18 de *Sanctis*: « *Tecum Dominus*, ait, in mente, tecum in auxilio, tecum in ventre. »

Et S. Bernardus serm. 3, super *Missus est*: « Quid mirum, inquit, si gratia plena erat cum qua Dominus erat? Sed potius hoc mirandum, quomodo, qui miserit angelum ad Virginem, ab angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior angelo fuit Deus,

ut festinanter nuntium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, et ascendit in conspectu gloriae ejus fumus aromatum et invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrræ et thuris.*

Et inferius docet Deum esse in omnibus creaturis per efficaciam, in rationalibus per cognitionem, in bonis per amorem, ideoque eum iis esse per voluntatis concordiam; per hanc enim ipsi Deum sibi jungunt. Subdit deinde: Sed, cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua virginisque substantia, unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret: qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei et totus Virginis esset; nec duo filii, sed unus utriusque filius.

Deinde docet cum B. Virgine fuisse Dominum, id est totam S. Trinitatem. Unde ait: « Nec tantum Dominus filius tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis, et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum parit et tuum. Filiis tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. »

XVI
18
1

12º DOMINATUR IN CŒLO, PURGATORIO ET INFERO.

Dominus tecum (Ib.) — S. Brigitta lib. I Revel. cap. viii, audivit B. Virginem sibi dicentem: « Omnis laus filii laus mea est; et qui inhonorat eum inhonorat me, quia sic ferventer dilexi eum, et ipse me, quod quasi unum cor ambo fuimus. » Quocirca ipsam quasi reginam dominari in cœlo, mundo, purgatorio et inferno, docet eadem S. Brigitta in *Sermone angel.* cap. xv. Eadem lib. III, cap. xxix alloquens B. Virginem: « Tu, inquit, assimilaris templo Salomonis, in quo verus Salomon spatiabatur, et sedit qui fecit inter Deum et homines pacem. Benedicta, igitur, sis B. Virgo, in qua Deus magnus factus est puer parvus, antiquissimus Dominus factus est pusillus filius, sempiternus Deus et creator invisibilis factus est visibilis creatura. » Respondet B. Virgo: « Cur me comparas Salomoni ejusque templo, cum sim mater illius qui non habet principium, nec finem? Nam filius Dei qui est filius meus est sacerdos et rex regum. Denique in templo meo induit se vestibus sacerdotalibus spiritualiter, in quibus obtulit sacrificium pro mundo. »

12º EST IN MULIERIBUS BENEDICTA.

XVI
18
1

Benedicta tu in mulieribus (Ib.) — Idem dictum fuit Jahel, quæ occidit Sisaram (Jud. v, 24, et Judith, xvi, 11). Sed longe excellentius id ipsum hic dicitur B. Virgini, quæ Jahelem, Judith, cæterasque virgines et matronas mille benedictionibus, donis et gratiis superavit; q. d. Tu, o Maria, sola omnium mu-

lierum es benedicta singulariter, quia uti virgo es, sic eris et mater; ac sicut sine libidine concipies, sic et sine dolore paries unigenitum Dei Filium, cum coeterae mulieres posteræ Evæ cum libidine concipient, et cum dolore pariant misellos infantes, aut certe steriles sint.

Audi S. Augustinum, serm. 18 de *Sanctis*: « Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam et viris et mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur. »

Reipsa ergo hie Angelus B. Virginem salutat laudatque iisdem elogiis quibus Joachim pontifex cum toto populo salutavit Judith redeuntem a cæde Holofernis, cap. xv, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, etc., ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum.*

Audi et B. Petrum Chrysologum, serm. 145, in hæc verba : « Vere benedicta, quæ fuit major coelo, fortior terra, orbe latior. Nam Dœum quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutritivit viventium omnium nutritorem. Fuit olim Patriarcharum benedictio in pinguedine terræ. Ecce terra nostra dedit fructum suum.

Et Andreas Hierosolymitanus in hæc eadem verba : « Vere, inquit, benedicta tu, quam Ezechiel

verum solis ortum proclamavit. Sola vere benedicta es, quam montem magnum vir elle desiderabilis Daniel vidit, ac montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis; montem præterea Dei, montem pingueum, montem quem Deo inhabitare placuit. Benedicta tu, quam Zacharias, vir divinissimus, aureum candelabrum, septem vidit lychnis ornatum, nimirum illis septem Spiritus sancti donis clarum ac lucidum. Vere benedicta tu, vividi nostri ligni paradisus, quæ ipsum horti Eden colonum, Christum inquam, Dominum intra te habes, figuris adumbratum, qui ineffabili quadam potentia, fluminis instar vivi, parvum uterum tuum egressus quatuor velut initii per Evangelium suum orbis faciem irrigavit.

In mulieribus. — Ut significet B. Virgini inesse quidquid est optimum in triplici mulierum statu. Hæc enim virgines sunt, viduae, aut matrimonio conjunctæ. In virginitate integritas laudatur, sterilitas non item. In viduis libertas animi commendatur, non solitudo, cum scriptum sit Eccle. iv: *Vix soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se, etc...* In conjugio, prolis educatio in bonis censetur, virginitatis jactura non item. Sola B. Virgo præ coeteris mulieribus virginitatem habuit sine sterilitate; animi libertatem sine defectu consortii, cum vere fuerit Joseph sponsata; et quod id majus est, absque violatione virginei pudoris, prolis fecunditatem. Itaque e triplici feminarum statu, quidquid boni est, adsevit; quidquid mali, repulit. Unde merito angelus præ cunctis mulieribus eam prædicat benedictam.

13º AD SPECIEM ANGELI, ET EJUS SALUTATIONEM
TURBATA EST.

XVI

48

2

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, etc.
(Luc. 1, 29.) — Ex S. Ambrosio, Theophylacto et Euthymio, colligitur B. Virginem turbatam esse, primo ex insolita specie, fulgore et majestate angeli; secundo ex insolita ejus salutatione, unde cogitabat qualis esset ista salutatio. Audi S. Ambrosium, lib. I Offic. cap. viii : « Ad virilis sexus speciem peregrinam, turbatur aspectus Virginis. » Similiter S. Hieronymus, epist. 7, quæ est ad Lætam : « Imitetur, ait, Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, et ideo forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat, aspexit. »

Licet enim B. Virgo assueta esset visionibus et colloquiis angelorum, nunquam tamen viderat angelum cum tanta majestate, nec audierat tam magnifice se salutatam. Porro S. Brigida in *Serm. angelic.* cap. xvi, insinuat eam expavisse, quod metueret ne tam gloriose salutans non angelus esset, sed diabolus volens sibi illudere. Porro S. Bernardus, serm. 3, super *Missus est* : « Turbata est, ait, sed non perturbata : quod turbata est, verecundiae fuit ; quod non perturbata, fortitudinis ; quod tacuit et cogitavit, prudentiae. »

Turbata est. — Id est, timuit et sacro quodam horrore perfusa est, cum quadam corporis commotione, que solet magnum animi timorem et horrorem comitari. Porro hæc timoris turbatio non passio fuit, sed propassio, scilicet voluntarie a B. Virgine permissa et assumpta. Nullæ enim passiones in B. Virgine dominari, imo nec insurgere poterant, aut ejus

rationem et libertatem prævenire. Pollebat enim justitia originali magis quam Adam. Ita Toletus. Simili modo Christus, instante passione, orans in horto cœpit pavere et tædere, scilicet libere, non invite, vel coacte.

14º PRUDENTER COGITABAT QUID ESSET ANGELO
RESPONSURA.

XVI

49

1

Et cogitabat qualis esset ista salutatio. (Ibid.) — In se, id est quam magnifica, augusta, superans omnium hominum vires et merita ac proinde et sua. Ipsa enim utpote humillima, longe diversa, imo contraria de se opinabatur. Cogitabat enim inter se : Ego mihi videor indigna omnis gratiæ, quomodo ergo angelus me vocat *gratia plena*? Ego paupercula cum pauperibus virginibus dego et conversor, quomodo ergo angelus mihi insonat : *Dominus tecum*? Ego aestimo me feminarum omnium minimam et vilissimam, quomodo ergo angelus mihi ait : *Benedicta tu inter mulieres*?

Rursum *qualis*, scilicet in suo fine, q. d. Cogitabat B. Virgo quo fine, et quorsum tam honorifice salutaretur ab angelo. Tam magnifica enim angelica salutatio dirigebatur ad magnificum incarnationis in ipsa peragendæ mysterium, ne scilicet ipsa, æstimans se illo indignam, sese excusaret et abnueret, itaque, illa annuente, Verbum et ejus purissimis sanguinibus carnem sibi assumeret. Cum ergo ipsa nesciret hunc finem, cogitabat et mirabatur cur tam splendide salutaretur ab angelo. Nil tamen respondit, quia, ut ait S. Ambrosius, lib. I Offic. « Præ verecundia non